

ria. En igitur aliud Exemplar e nostra *Moravia*. Praescripsit fronti ejus manus paullo recentior: *Prologus Boneventure hic deficit, et expositio eiusdem est in veritate*. Non plane cum ratione; adest enim posterior Prologi pars ab iis verbis: *Verba Ecclesiasticis. Iste totalis liber diuiditur in initium seu probemium in tractatum qui incipit ibi. Vanitas vanitatum, et epilogum, qui incipit ibi. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes &c.* quae leguntur edit. *Lugd.* p. 297. ubi prave talis pro totalis. Extrema consentiunt, quibus adjectum a Librario: *Anno incarnationis 1346*. Obiter mirari subit, Editionem mox citatam a *Fabricio* ignoratam nequidem a *Mansio* in Supplementis notatam fuisse. Novam se Editionem moliri scripsit *Luc. Waddingus* in *Bibl. O. M.* p. 81. et fortasse *Lugdunenses* anno 1657. extincti adparatu usi sunt.

## CXXII.

U. 472  
— 85 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 230. f. orditur Seriem Voluminum hoc et sequente Sec. exaratorum, quibus continentur *Commentaria Henrici de Hassia* primi cum *Henrico de Oyta* sacrorum in *Academia Vindob.* Studiorum auspiciis in *Librum Geneseos*, quaeque hic visum est in unum colligere, prout illa vidit et *carnosissima* compellavit *D. Job. Eckius* anno 1516. in *Epistola* ad *Episcopum Eichstadiensem*, quam *Conspectus Hist. Univ. Vien.* exhibet P. five Sec. II. p. 88. Et primum quidem

istud *Volumen* in anteriore *Theca* haec refert: *Istum librum dedit Magister Haynricus de Hassia Doctor Sacre Theologie qui in principio fundacionis huius Collegij huc vocatus fecit hic multa bona. Cui deus retribuat vitam eternam Amen.* Continet porro duplicem illum *Prologum Biblicum*, quo plurimum exponitur *Epistola ad Paulinum*, et *Praefatio ad Desiderium Hieronymi*, quemque jam *Cod.* alio hic indicavi, atque hunc excipiunt ipsa *Commentaria fol. 115.* hoc initio: *In principio creavit Deus celum et terram &c.* Hoc verbum introducens *S. Augustinus* undecimo de *civ. Dei* c. 3<sup>o</sup>. ita dicit. *Quod deus fecit mundum nulli potius credimus, quam ipsi deo &c.* Abrumpuntur in *C. I. v. 14.* his verbis: *Hec Ambrosius, quae alias etiam partim tetigi; monet tamen Librarius Continuationem sequi.*

*Volumen II.* (*Cod. 476*) aliud est *Commentariorum* Exemplar ab initio pertingens usque ad *C. I. v. 24.* et desinens: *quinte diei vel quinte ferie. Tunc sequitur ultima pars huius primi capituli genesis.* Additum: *De manu M. Pauli.*

*Volumen III.* (*Cod. 477.*) est *Continuatio* prioris incipiens: *Et vidit Deus quod esset bonum et ait faciamus hominem. Sicut in precedentibus patuit ista litera Et vidit Deus quod esset bonum dupliciter legi potest &c.* et desinens: *permisus est ingredi paradisum Dei serpens ille callidissimus, de quo sequitur in litera. Sed et serpens erat callidior.*

*Volumen IV.* (Cod. 478.) est Continuatio praecedentis incipiens a C. III. et inscriptum: *Tertium volumen M. Henrici de Hassia super genesin.* Initium est: *Sed et serpens erat &c. Secundum diuisionem in principio istius tertii capituli Genesis in tres partes factam hic incipit tertia pars &c.* Finis: *utrum dei bonitas plus appareat in remocione mali quam in collacione boni.*

*Volumen V.* (Cod. 479.) Continuatio prioris a v. 17. incipit: *Maledicta terra in opere tuo. Hec propositio primo in penam transgressionis Adam superius repetite &c.* et finit: *quorum vnus fuisset forte latro ille cum Christo suspensus, et hoc de illo tertio dubio.*

*Volumen VI.* (Cod. 480.) a v. 19. prosequitur praecedentem hoc initio: *In sudore vultus tui &c. Expedita iam prima parte istius textus ex hijs, que diffuse dicta sunt &c.* et fine: *cum apparuerit me gaudenti animo fateor assensurum. taliter ergo et tantum.*

*Volumen VII.* (Cod. 481.) Continuatio ulterior. Initium est connexum: *Taliter ergo et tantum dictum sit de illa quarta sequela mortis &c.* Finis vero: *illorum articulorum mortui fuerint iuste sunt dampnati. Relata haec Volumina ab ipso Henrico donata fuisse, anterior eorum Theca testatur.*

*O pater egregie frisingensis reuerende &c.*

*Volumen VIII.* (Cod. 482.) aliud est praecedentis Exemplum, eodem initio et fine. Verum alia Adjuncta memoranda sunt; praefert enim in Theca titulum: *Leitura magistri Joannis (I. Henrici) de Hassia in 3. caput genesis, alique complures tractatus de necessitate fatali.* Itaque 1) sequitur fol. 121. *Tractatus de necessitate fatali* hoc initio: *Usque huc pertractata est prima pars tertie instantie contra diuinam prouidentiam superius facte. qua dicebatur quod si deus est gubernator &c.* Abrumpitur vero in his verbis: *quare alias dixisset apostolus vias diuine sapientie nobis inuestigabiles esse, et propheta cur dixisset — —.* Fragmentum istud pertinere conjicio ad *Tractatum Henrici de Habitudine causarum et influxu naturae communis respectu inferiorum*, vel, ut e Codd. Bodlej. et Lips. Fabricius adpellat, *Catenam auream*, aut de *reductione effectuum in suas causas*, aut de *Concatenatione causarum*. 2) succedit fol. 265. *Tractatus polemicus contra Gentiles*, praecipue vero contra *Judaeos*, qui init: *Misereor super vos o hebrei filii dispersionis de carne sanctorum patrum Abraham Ysaac et Jacob progeniti &c.* et terminatur: *miserencordiam tam grandem et ineffabilem potius cum hominibus quam cum angelis.* 3) fol. 281. Versiculi VII. de praesenti Schismate ad *Bertholdum Ep. Frising.*

Est is, cui *Henricus* noster *Tra-ctatum* contra *Theologorum* *Vaticinia* inscripsit. 4) *fol. eod.* saepe relata a nobis *Epistola Luciferi* ad *Praelatos* ecclesiasticos: *Lucifer princeps tenebrarum tristitia* *profundi regens acberontis imperia* &c. quae teste *Pezio* *Dissert. isag.* in *T. I. Thef. Anecd.* p. 79. in *Cod. Tegerns.* diserte *Henrico* tribuitur, licet in *Mellic.* absit nomen. 5) demum *Index* *materiarum* in *Commentaria* in *Genesim* *supracit.* ut adeo, quae inter hunc et ipsa *Commentaria* intercepta sunt, pariter ad eundem *Henricum* referenda esse videantur.

*Volumen IX.* (Cod. 484.) *Lectura M. H. de Hassia* *super primo et secundo capitulis Genesim.* En aliud *Exemplum* novum, quod *Academiae*, ut praefertur, obvenit *testamento M. Thomae Haselbachii.*

*Volumen X.* (Cod. 485.) *Pars altera* *novi hujus Exempli. Lectura M. Heinr. de Hassia* *super tertium capitulum Genesim.* An *ultra Caput* *istud* *commentando* *unquam* *progressus* *fit* *Noster*, *mihi* *faltem* *non* *constat*; *hic* *enim* *omnes* *etiam* *alii* *adlati* *Codices* *fiunt.*

*Volumen XI.* (Cod. 475.) *complectitur* *utrumque* *Prologum* *biblicum* *Nostri* *jam* *supra* *Vol. I.* *et* *alias* *productum*, *hic* *vero* *sic* *subscriptum*: *Explicit* — *per fratrem Conradum Pülenreuter de Amberga* *Conuentualem Sancti Michabelis in Weybensteuen* *anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo.* *Accedit* 1) *Magistri Henrici de*

*Hassia* *ad Canonicos* *Sermo*, *qui* *incipit*: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. *Nouistis fratres dilectissimi* &c. *et* *subscribitur*: *Explicit Epistola Reuerendi Doctoris Magistri Hainrici de Hassia* *Canonicis regularibus in Newnburge* *scripta de modo in communi sine proprio viuendi anno Domini XXX.* *Saepe* *pius* *a* *nobis* *adlatus* *epistolaris* *hic* *Tractatus* *novo* *igitur* *Codice* *contra* *Pezii* *supracit.* *dubia* *Henrico* *adseritur.* 2) *ut* *e* *calce* *praeoccupo*, *Collatio* *facta* *per* *honorabilem* *virum* *Magistrum* *ac* *Domini* *Johannem* *Tagersbaim* *Licentiatum* *in* *Decretis* *Canonicum* *Ecclesie* *Frisingensis* *in* *monasterio* *sancti* *Michabelis* *in* *Weybensteuen* *in* *presentia* *fratrum* *ibidem* *existentium* *anno* *quo* *supra.* *Init*: *Sacra* *scriptura* *improperat* *iudayco* *populo* *viciu* *ingratitude* &c. *De* *Coenobio* *Weibenstephanensi* *Frisingae* *vicino*, *jam* *a.* *1020.* *Benedictinis* *reddito* *adi*, *si* *lubet*; *Monumentor. Boic. T. IX.* *p.* *341.* *Additum* *S. Michaelis* *nomen* *jam* *ab* *a.* *1138.* *in* *Traditionibus* *comparat.* *Visitationem* *Monasteriorum* *per* *Job. Grünwalderum* *Vicarium* *Gen. Nicodemi* *Ep. Frisingani* *ab* *a.* *1427.* *coepisse* *video* *in* *Car. Meichelbeckii* *Historia* *T. III.* *p.* *204.* *qui* *mox* *p.* *208.* *in* *Serie* *Canonicorum* *ad* *an.* *1429.* *Oratorem* *nostrum* *Job. Tagersbaimer* *simul* *Plebanum* *in* *Kingstorff*, *et* *p.* *223.* *ad* *an.* *1439.* *eundem* *de* *Dagersheim* *jam* *Scholasticum* *refert.*